

**INSTRUCTIO****Ad clerum Campivallensem circa Jubilaeum anni 1901**

---

**I. DE EXERCITIIS SPIRITALIBUS JUBILAEI ET DE  
SELECTIONE CONFESSARIORUM**

1o. Fiant, quantum res erit possibilis, in singulis parochiis spiritualia exercitia octo vel saltem trium dierum, cum concionibus de officiis parentum, de occasionibus peccati speciatim pro juvenibus, de vitio intemperantiae, de luxu necnon de veritatibus evangelicis quae suapte natura ad sinceram poenitentiam et ad emendationem vici ducere possunt. Poterit in dictis diebus exponi Sancti simum Sacramentum semel in die, hora convenienti, et dari benedictio.

2o. Moniales earumque Novitiae sibi, ad effectum lucrandi indulgentiam Jubilaei, eligere poterunt Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario loci approbatum.

3o. Ceteri sibi eligere poterunt quemcumque presbyterum Confessarium ab Ordinario actuali loci ad audiendas Confessiones approbatum.

**II. QUID POSSINT CONFESSARI**

Quilibet sacerdos in hac dioecesi approbatus potest, in tota dioecesi( semel tantum, intra semestris Jubilaei spatium, unumquemque poenitentem et in foro duntaxat conscientiae, in favorem fidelium qui ad sacrum tribunal accedunt cum serio et sincero proposito lucrandi Jubilaeum et reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, exercere sequentes facultates, imposita salutari poenitentia, et injunctis de jure injungendis :